DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

URINIS.

QUAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A. M.
Phil. & J. U. Doct. illiusque in Illustri Academiâ
Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.

NECNON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summísque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,
Publicè defendendam proponit

PAULUS TIELENS, Sonhovius,
Ad diem 24 April. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC XCI.

Illustrissimo ac Generosissimo Domino

DOMINO
FERDINANDO
DE KNIPHAUSEN,

Baroni de Vogelsanck, Inhausen, Elteren, Nufdorp, Bastoniæ, & Strippiniæ, Domino temporali de Kessenich, nec non Celsissimi Principis Leodiensis in Prænobili sua Curingensi feudali Curia Præsidi &c.

Exercitium hoc Inaugurale Medicum
in debitę subjectionis & devotę gratitudinis signum
Cum ardentissimo voto
Pro Generositatis ejus incolumitate
perenni inscribit
Illustrissimæ Generositatis Vestræ
Subjectissimus servus
PAULUS TIELENS.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

URINIS.

PROOEMIUM.



um à tempore, quo in Illuſtri hac Academia Medicinæ operam dedi, perſæpè actum fuerit in publicis defenſionibus de morbis, non inconveniens fore putavi aliquid de eorum ſignis ex quibus dignoſcuntur hic ſubnectere, quandoquidem multa in humano

corpore lateant quæ non nisi signis quibusdam dignosci queunt, *de* Urinis, *quæ quia inter fontes signorum eminent*, *& ex quibus morbi & causæ eorum petuntur*, *quædam tractare decrevi*, *agendo scilicet de Urinis*, *merè*, *ut effectus suam causam aliqua in corpore nostro nobis potest significare. Faxit ergo Deus Ter Optimus Maximus ut hæc meæ tenuitatis congeries verum attigerit scopum.*

THESIS I.

Ut autem ad cognitionem urinæ non naturalis planior nobis sternatur via, ejus statum naturalem, & in renibus à sanguine separandi modum, bene cognovisse juvat, sit nunc.

II.

Urina ergo est liquor ex varii generis particulis, scilicet aquosis, salinis, spirituosis, oleosis, & terrestribus in renibus à sanguine separatus colore vario pro varia ætate & temperamento, quam separationem sic fieri dico, sanguis primo defertur per arterias emulgentes in substantiam rerum glandulosam in qua occurrunt & conjunguntur varia vasorum genera, v.g. venæ, arteriæ, vasculosa substantia renum, vasa lymphatica, tam interna, quam externa à *Clarissimo Professore Nuckio*, promotore meo honorando detecta, nervi, & ureteres quæ vasa omnia præter nervos concipio ut continua habentia taliter dispositos suos poros, ut tantum materiæ poris suis proportionatæ transitum dent, atque ita per venas emulgentes redit sanguis ad cor & per vascula urinaria depluit urina in renum cavitatem (pedem anserinum dictam) & sic per ureteres in vesicam defertur postea oportuno tempore excernendo.

III. Ut

III.

Ut autem naturalis illa dicatur debet esse determinatæ quantitatis, qualitatis, substantiæ, & contentorum, per quantitatem intelligendo, ut sit mole aliquanto minor quam id quod per potum assumitur, per qualitatem ut sit coloris aurei & citrini, ubique tamen considera ætatem, temperamenta, tempora, & vivendi modum, nam secundum hæc color naturalis variat, per substantiam ut non sit nimis viscida, sed fere sicut aqua naturalis fluxilis sed aliquanto lentior, per contenta quæ quamvis apud multos tria enumerantur nubecula, æneorema & hypostasis, urinæqne naturali posse inesse dicant, nos tamen urinæ naturali tantum posse inesse hypostasin defendemus, quæ ut naturalis sit debet esse coloris alba, nam color albus est perfectæ concoctionis signum, substantiæ tenuis, levis, & æqualis, figuræ rotundæ vel piramidalis ut non sit nimis crassa, & ut satis gaudeat spiritibus qui partes omnes hinc inde exagitando hypostasin pyramidatam & æqualem efficiunt, hisce sic dictis de urinis naturalibus me confero ad ejus inspectionem.

IV.

Quæ urinæ inspectio, ut bene fiat, duo consideranda veniunt, liquor urinosus, & quæ in liquore urinoso continentur.

V.

Primo in liquore considerantur, consistentia liquoris, color, odor, quantitas, & excernendi modus, ex quibus ut distinctius signa nostra formemus, ordine singula tractabimus.

VI.

Deflectit ergo à naturali sua consistentia, quando est nimis tenuis vel crassa, tenuis est ab inopiâ salis & terræ, crassa à copiâ, tenuis indicat fermentationem imminutam, humorum cruditates, hinc obstructiones, difficiles respirationes, ventriculi anxietates, crassa, vasorum urinariorum laxitatem vel chyli in sanguine abundantiam; quando est nimis clara vel turbulenta, clara, ni sit tenuis, bonæ est consistentiæ, turbulenta, *Alia* est quæ clarè mingitur & in recessu turbulenta evadit,

XII.

Succedit *odor* qui dependet ab halitu salis tenuissimi ramosi facillimè obedientis aëris motibus, unde illa spicula salina ad nervos nostros delata, pro majori vel minori spiculorum illorum vibratione, diversi animæ nostræ imprimuntur odores, v.g. aliæ dicuntur fætere, aliæ naturaliter olere, aliæ suavis esse odoris, aliæ nullius, fætidæ redduntur à materia putrida, purulenta, vel à salibus acidis &c. denotantque scorbutum, hydropem, naturaliter olentes significant omnia bene procedere, odoris suavis odorem habent non à causis internis sed ab assumptis ut à medicamentis, odoriferis, inodoræ denotant nullam fieri concoctionem, calorem nativum esse debilem; & defectum salium, vel eorumdem fixitatem, vel viscositatem.

XIII.

Sequitur consideranda urinæ *quantitas*, quæ ut naturalis sit debet esse assumptis minor, si autem in illa excedat, vel deficiat non naturalis erit, sic ergo copia urinæ dependet à copia ciborum aquosorum, vel à magna in sanguine seri præcipitatione, à diureticis si vitiosi humores per vias urinarias expurgentur, si perspiratio prohibeatur; & materia illius ad renes feratur, paucitas vero dependet à causis contrariis, ut v. g. urinæ paucitas nisi sit ob defectum assumpti liquidi, magnum significat calorem serum per sudorem, aut insensibilem transpirationem discutientem, vel urinariarum viarum obstructionem &c.

XIV.

Ultimi loci est *excernendi modus*, qui desumitur, vel à dolore & oritur, tum ab urinæ acrimonia, tum ab urinæ adjunctis, ut ab arenis, calculis, tum à viis urinariis exulceratis, denotatque stranguriam, dysuriam calculum, vel desumitur ab urinæ silentio, quando scilicet effluit quasi oleum esset, hæc de liquore urinoso dicto sunto, breviter ea quæ in illo continentur dicenda veniunt.

XV.

Ad quod ut bene intelligatur, sciendum est, contenta urinæ nihil aliud esse, quam aliquid corpulentius in urina obser-

va-

vabile, hocque esse duplex generale scilicet, & speciale, generale contentum triplex est ut *hypostasis* quod in fundo subsidet, *Eneorema* quod in medio suspenditur, *nubecula* quod supremum locum occupat, ex his cum nihil debeat urinæ naturali inesse nisi hypostasis quam (qualis debeat esse ut sit naturalis) vide superius in thesi tertia; hujus loci erit videre, quomodo contenta illa generalia nobis aliquid significant, præmissa prius eorum definitione, suntque nil nisi particulæ seu filamenta minutissima oblonga, ac teretia tam ex chylo quam succo illo in quem sanguis noster mutatur, antequam in corporis nutrimentum cedit, ratione cujus judicare est, esse portionem superfluam ultimi alimenti, quam serum sanguinis in sua per omnes partes circulatione, & transcolatione secum rapit, & foras abducit. Et quæ in urina inter se, à materia subtili & spiritibus commota, sese invicem suis asperitatibus & ramis apprehendunt, intricant, & sic pro majori sua filamentorum, & particularum gravitate, vel levitate; componunt vel nubeculam; vel eneoremam, vel hypostasin, secundum hæc nubeculæ & suspensiones fiunt, per hoc quod succus nutritius non sit in filamenta satis firma & ponderosa elaboratus, sed in spongiosa & leviora, quæ à reliquis urinæ partibus sustinentur, vel quod urinæ fibrosæ particulæ, & filamenta habeant alias particulas poros suos occupantes, à quibus impediuntur quominus subsidere possint, quod si ille particulæ & filamenta sint satis gravia ut fundum petant, constituent hypostasin quæ in urinæ ægrorum inæqualis est, ab inæquali succi nutritii in corpore ipsorm coctione, vel à dissimili substantia quæ inæqualiter commiscetur, habetque sæpè hypostasis aliquid materiæ morbificæ commixtum, ut pus, sanguis, arenas &c. quæ cum pertineant ad contenta specialia, ad ea gradum faciemus.

XVI.

Ut contentum generale fuerit, quod in omnibus ferè urinis est, specialia sunt quæ tantum in quibusdam sunt, eaque vel sunt in fundo, vel in medio, vel in superficie, vel urinalis lateribus adhærent, vel cum urina commiscentur talia sunt calculi, arenulæ, sanguis, caranculæ, pus, sedimentum fari-

ri-

rinaceum; furfuraceum, ſquammoſum, vermes, filamenta, bullulæ, ſpuma, corona, & alia plura quæ hic recenſeri nimis longum foret, ideo tantum de aliquibus præcipuis agemus.

XVII.

Conſpiciuntur ergo primo arenulæ & calculi quæ adeſſe cognoſcuntur, per modum excretionis, v. g. ſi urina excernatur cum dolore & ſtranguria omphatyquè ſit coloris calculum adeſſe indicio eſt, ſi ſit cum dolore in dorſo circa lumbos, & longitudinem ureterum calculum renalem notat, ſi cum dolore circa genitalia præcipe glandem, & puncturâ circa veſicam, & pubem, per ſubitaneaſque urinæ ſuppreſſiones calculum veſicæ adeſſe cognoſcitur, ſi autem inter mingendum dolor ſentiatur, & urina excernatur alba & tenuis notat arenulas ſuppreſſas in calculum convertere.

XVIII.

Secundo conſpicitur in urina ſanguis, qui ut plurimum venit exulcere, aut læſo; vel rupto vaſe in parte per quam urina tranſit, ſic à diverſo effluxionis loco diverſæ eſt naturæ, nam ſi è veſica fluat ſanguis erit grumoſus male redolens, & quia ſpiſſior & ponderoſior fundum petet, ſic etiam ſi ſanguis grumoſus ad fundum ſubſideat in urina mulieris ei menſes fluere judica, ſi autem à renibus fluat ſanguis purus erit & benè cum urina commixtus (niſi ſit purus & nigricans tunc reſidebit in fundo) dolorque ſentietur pungitivus in regione dorſi, ubi ſiti ſunt renes, qui dolor & ſanguinis mictus, perſæpè cauſatur à calculis majoribus, & præcipuè inæqualibus multis exſtantiis gaudentibus, qui facili negotio vaſa ſanguifera lædunt, & continuum ſolvunt ratione cujus ulcus formatur, à quo *pus* cum urina tunc effluit, & ſi ulcus perſeveret propter ulteriorem continui ſolutionem fit abraſio & attritio ſubſtantiæ renum, & inde fiunt *Carunculæ* ex hiſce facile colligere eſt pus nobis ſignificare ulcus in renibus, vel viis urinariis, carunculæ, exulcerationes, & abraſiones renum.

XIX.

Sequuntur ſedimentum farinaceum, furfuraceum, & ſquammoſum, quæ nobis præcipuè denotant corporis conſumptionem, e. g. ſi talia appareant præſente febre totius corporis con-

consumptionem denotant, his annecto filamenta pilis & telis aranearum similia, quia & denotant consumptiones aliquarum partium, vel totius corporis humoresque crassos & viscidos peccare.

X X.

Ultimo succedunt ea quæ frequentissimè in superiori urinæ parte conspiciuntur, ut bullulæ, spuma, corona &c. bullulæ primo denotant adesse flatus, & viscida materia, & quo bullulæ illæ sunt magis perseverantes, eo flatus esse crassiores, & materiam viscidiorem, sic etiam si fiat bullularum multarum aggregatio *spuma* vocabitur, quæ agnoscit eandem caussam à quo ac bullulæ, scilicet à viscido humore & flatu notatque ut plurimum viciatam ventriculi coctionem. Corona, vel circulus denotat affectus capitis & pro variis illius circuli coloribus, & inhærentibus, nobis varia significat, ut vertiginem, epilepsiam, cerebri obstructionem, & plura alia quæ hic adferenda & dicenda forent, sed quia brevis esse volui, hisce finivi & dixi.

COROLLARIA.

I.

Urina est signum diagnosticum generalius quam pulsus, sed pulsus certius signum prognosticum vitæ, aut mortis.

I I.

Tantum dantur quinque pulsuum differentiæ, quæ petenti explicabuntur.

I I I.

Fœtus nutriri ore, vel umbilico, esto problema.

IV. *Fæ-*

I V.

Fœtus in lucem prodiens, incipit respirationem ab inspiratione.

V.

Materia lactis est chylus, vel sanguis, problematicè defendam.

V I.

Datur spirituum circulatio, nam spiritus qui prius fuit vitalis fit animalis, & vice versa.

V I I.

Causa Gibbositatis non est semper referenda in malam dispositionem ossium (ut plurimi voluere Authores) sed sæpius in musculos.

V I I I.

Ut unus tantum datur morbus, differens ratione loci & humorum affectorum, sic etiam tantum datur unum sal, differens ratione mixtionis aquæ & terræ.

F I N I S.